



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. iv. Quænam sit causa finalis, propter quam est habitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

iecti, quæ specificat habitum in ratione habitus. Neque par est ratio actus & habitus; nam actus specificatur à solo motu simpliciter, quia non ordinatur ad facilitatem: habitus autem cum totus ordinetur ad tollendam difficultatem, tendit in obiectum prout difficile. Quoties igitur erit obiectum diuersum in ratione difficultis, diuersus etiam erit habitus. De habitibus supernaturalibus dixi alias disparem esse rationem, quia motuum illi habent vnum specie infima. Tota verò diuersitas se tenet ex parte obiecti materialis, vt in fide obiectum est prima veritas reuelans eadem specie in omnibus; obiecta verò materialia sic differunt, vt nouam non habeant difficultatem. Habitus verò acquisiti obiectum habent specie multiplex, & genericè tantum vnum.

Ad tertiam respondeo, habitus istos partiales, quorum vnus v.g. inclinat ad moderationem cibi, alter ad moderationem potus, specie differre inter se; si enim solo numero differrent, vnus ad illud idem inclineret, ad quod inclinat alter. Obiectum verò formale vtriusque idem est absolute spectatum, sed in ratione difficultis est diuersum. Idem dico de actibus, à quibus producantur, & ad quos inclinant; illi enim in ratione difficultis specie differunt, non differunt absolute sumpti.

§. IV.

Quenam sit causa, per quam habitus destruitur.

Destruí habitus experientia docet; quomodo autem, seu per quam causam destruantur, dubiū est, non enim possunt destrui nisi vel per corruptionem subiecti, de quo nulla est controuersia, vel per actus contrarios, vel per solam cessationem actuum; quod vtrumque difficile est.

Triplex dubitatio.

Ratio enim dubitandi est primò, si habitus destruitur per habitum contrarium, sequitur totum habitum vitiosum nunquam destrui, nisi quando virtus est omnino perfecta; sicut totum frigus à subiecto non expellitur nisi per summum calorem; consequens illud est absurdum: ergo habitus non destruitur per habitum contrarium.

Secundò, si sola cessatione actuum habitus destrueretur, actus esset causa seruans habitum, alioqui habitus destrueretur ex sola subtractione concursus diuini, quem Deus nunquam negat: consequens est absurdum, cum habitus duret aliquo tempore sine actu: ergo habitus non destruitur ex sola cessatione actus.

Tertiò sequeretur, quod habitus fluentis esset natura, quia sensim disfluere, sicque nemo perfectum vnquam haberet habitum.

Habitus quomodo destruitur.

Dico sextò habitum destrui vel formaliter per habitus contrarios, efficienter autem per actus, vel per solam cessationem actuum, licet nulli exerceantur actus contrarij.

Primam partem admittunt omnes, quia omne contrarium expellitur formaliter per introductionem contrarij: sed habitus contrarius est habitui, non autem actus; quia ea contraria non sunt, quæ sunt generum diuersorum, qualia sunt habitus & actus: ergo habitus efficienter destruitur per actus contrarios, formaliter autem per contrarios habitus.

Secunda pars, quod sine actibus contrariis sola cessatione agendi disfluant habitus, negatur à Suar. Vasq. Hurtado: docent eam Gabriel in 3. diff. 21. q. 1. Okam. ibidem, Abulensis, Almainus, Lorca, & alij apud Theophilum 2. 181. Probat

A autem primò experientia: nam periti alicuius artificij aut lusus, si diu omittant exercere illa opera, sensum experiuntur se amittere primam illam facilitatem, ita vt si ad opus deinde regrediantur, non possint operari sine difficultate: idem experitur in habitibus memoriæ ac scientiarum. Hoc fieri non potest per actus oppositos, qui nulli sunt; neque per solum defluxum specierum phantasia, cum sæpe rerum recordemur, ad quas tamen non habemus facilitatem: ergo sola cessatione actuum habitus illi destructi sunt. Dicere autem, habitus illos sopitos tantum esse propter multitudinem cogitationum, non satisfacit, quia volo cogitationes alias omnes ab huiusmodi homine deponi, qui tamen in operando sentiet magnam difficultatem.

Deinde constat alia etiam plura esse quæ sensim deficiunt sine actione vlla contrarij, vt dictum est de impetu proiectis impresso, & de ipso sono, qui postquam aliquamdiu durat, intereunt ex sola subtractione diuini concursus, quem non amplius exigunt: ergo similiter potest definire habitus ex sola cessatione actuum, sine contrario vilo actu.

Ad primam respondeo habitum vitiosum, quem aliquis acquisiuit per plures actus vitiosos, non penitus destrui donec perfecta sit virtus; si enim aliquis quinque acquisiuerit gradus intemperantiæ, non potest vllum ex illis gradibus expellere per actus contrarios, donec plures habeat gradus temperantiæ, quàm tres; sicut ille qui habet quinque gradus caloris, nullum ex iis gradibus amittit, donec plures habeat gradus frigoris, quàm tres; quia scilicet temperantia & intemperantia non sunt in gradu impossibili. Si aliquis quatuor habeat gradus intemperantiæ, cum gradibus quatuor temperantiæ, non in actu secundo ad temperantiam, aut intemperantiam, sicut lapis habens grauitatem vt quatuor, & impetum sursum vt quatuor, in æquilibrio manet.

Ad secundam dixi, habitum non conseruari per actum, sed à solo Deo, qui non denegat concursus, donec illum non amplius exigat habitus; hic enim post aliquod tempus non exigit amplius conseruari.

Ad tertiam respondeo non esse habitum rem successiuam, alioqui nullus partes suas haberet simul, sicuti motus; sed esse tamen aliquo modo fluentis naturæ, quia sensim dilabitur, & non exigit semper esse ac conseruari. Potest autem aliquis frequentes exercens actus perfectum habitum acquirere, quia plus acquirit crebra excitatione actuum, quàm amittat ex habituum defluxu.

SECTIO IV.

Quenam sit causa finalis, propter quam est habitus.

Certum est habitum non esse nisi propter actum; sed queritur, vtrum habitus efficientiè producat actum; an verò concurret tantum ad modum quendam facilitatis & delectabilitatis, quo fit actus; sic enim censet Vasquez disputat. 81. cap. 2. Alij verò cum Scoto & Capreolo volunt, solam intensionem actus ab habitu produci. Denique alij cum Durando & Hurtado putant habitum esse tantum quendam dispositionem, quæ posita facilius agat potentia.

Ratio dubitandi est primò, quia inter causas æquiuocas

Triplex
dubitatio.

æquiuocas non datur circulus; actus est causa æquiuoca ipsius habitus: ergo habitus non est causa æquiuoca ipsius actus; si enim est ignobilior, non causat actum; si est nobilior, non causatur per actum.

Secundò. Quoties duæ causæ totales subordinatæ concurrunt ad vnum effectum, necesse est vt in illo effectu respondeat vna formalitas secundum quam producat, alioquin pendebit idem effectus naturaliter à pluribus causis totalibus: sed nulla est formalitas in actu, quæ respondeat habitui: ergo actus non potest produci ab ipso habitu.

Tertiò sola potentia potest producere actum: ergo superflua est cooperatio ipsius habitus. Probo consequentiam, quia sequeretur actum productum à sola potentia specie distingui ab habitu productum à potentia & actu; haberet enim relationem ad habitum, quam alter actus non diceret.

Conclu-
sio. Dicendum tamen est, habitum concurrere physice ad ipsam substantiam actus, & effectiue illam producere.

Probat. Ratio est, quia non potest habitus facilitare potentiam, nisi illam iuuando: sed non potest iuuare, nisi augendo vim eius actiui, idest efficiendo ipsam substantiam actus; vellem iuuaret remouendo impedimenta; quæ nulla omnino sunt; vel efficiendo intensiorem actus, quæ non est aliquid distinctum ab entitate actus; vel, vt vult Vasques, producendo modum facilitatis, quæ non est aliud quam denominatio ab agente melius disposito; nec est aliquid producibile in actu; & actus ille qui fit facile, nihil habet entitatis quod alter non habeat, qui fit difficile. Ergo habitus producit ipsam entitatem actus.

Ad primam respondeo, inter causas æquiuocas principales esse non posse circulum; sed esse posse inter causas, quarum vna est principalis, altera verò instrumentalis; sic enim actus principaliter producit habitum, à quo producitur instrumentaliter.

Ad secundam respondeo negando esse impossibile, vt duæ causæ subordinatæ producant eundem effectum sub eadem formalitate; duo enim luminosa idem producant lumen sub eadem formalitate luminis. Quis autem dicat, manum fabri concurrere ad opus fabrilis sub vna formalitate, & securim sub alia. Neque vllò modo est inconueniens, quod idem effectus pendeat à pluribus causis totalibus, quantum vna sit principalis, altera instrumentalis.

Ad tertiam respondeo, actum posse produci à potentia sola difficile operante, non posse produci à sola potentia operante facile ac delectabiliter; ita concursus ipsius habitus non est necessarius ad simpliciter operandum, sed est necessarius ad facile operandum. Actus autem productus à potentia sola non distinguitur specie ab actu quem producant habitus & potentia; habent enim relationes diuersas, sed non sunt essentielles, neque diuersæ rationis.

SECTIO V.

Varie diuisiones habituum.

Habituum
varie di-
uisiones.
Prima est diuisio habitus in infusum & acquisitum. Infusus est, qui ex sua natura talis est, vt per solum influxum primæ causæ possit obtineri:

A vel & melius, qui est supra exigentiam cuiusvis subiecti creati aut creabilis. Acquisitus qui non superat exigentiam agentis creati, sed acquiritur per proprios eius actus, à quibus physice produci-
tur.

Secunda diuisio est habitus in intellectualem & moralem. Habitus intellectuales sunt in intellectu, artes nimirum & scientiæ. Habitus morales sunt in voluntate, suntque elicitui actuum conformium aut difformium rationi; virtutes nimirum & vitia.

B Tertia est diuisio habitus in virtutem, & non virtutem. Virtus est habitus potentiam disponens ad perfectam operationem; potest autem reperiri tum in intellectu, tum in voluntate, tum in aliis potentiis, quæ regi possunt ex imperio rationis. Perfectio intellectus est in attingenda veritate; perfectio voluntatis in attingenda honestate obiecti; vnde virtus appellatur habitus indefectibiliter attingens bonum potentia rationalis, diuiditurque in intellectualem & affectiuam. Virtus intellectualis est, quæ ad veritatem attingendam indefectibiliter inclinatur, vt scientia. Virtus affectiua, quæ ad honeste operandum sine defectu inclinatur. Habitus qui non est virtus, disponit potentiam ad operationem imperfectam; alter est imperfectus, qui ad bonum inclinatur, sed imperfecte, vt opinio & fides; alter vitiosus, vt error in intellectu; vitia in voluntate, quæ inclinant ad turpes & inhonestos mores.

C Quarta est diuisio habitus intellectus, qui est virtus, in sapientiam, scientiam, intellectum, artem & prudentiam. Sapientia est habitus inclinans ad cognitionem rerum altissimarum per supremas causas, qualis est cognitio de Deo, siue sit naturalis, & est Metaphysica; siue sit supernaturalis, & est Theologia. Scientia est habitus inclinans ad cognitionem certam & euentem per causas inferiores, aut per effectus. Intellectus dicitur habitus quo cognoscuntur prima principia. Ars est habitus cum recta ratione effectiuius ex regulis vniuersalibus. Prudentia est ratio agendorum ad finem, seu habitus electius mediorum ad finem. De iis habitibus dictum est disputatione vltima Logica.

D Quinta est diuisio habitus voluntatis, qui est virtus, in virtutes Theologicas, & Morales; Moraliū virtutum in quatuor Cardinales, quarum vna est prudentia, virtus intellectus, vt dictum est. Circa virtutum earum considerationem tota versatur Moralis, & pars maxima Theologiæ, vbi satis accurate de illis disputatum est.

E Sexta Denique diuisio habitus in speculatiuum & practicum quoddam habet difficultates tractatas disputatione vltima Logica; atque hic finis sic considerationis totius naturæ, quam vniuersam perlustrantes, Deum opificem vidimus tanquam in speculo. In eius ergo admiratione, atque amore conuiescendum est nobis, qui tandiu circa imaginem eius laborauimus. Quod enim addi poterat de statu animæ separata, tum circa operatione: nihil habet speciale quod in tractatu de Angelis non sit expositum.